

DE CELERI
PROPAGATIONE EVANGELII
IN UNIVERSO MUNDO
LIBRI TRES

AUCTORE

MICHAELE JOSEPHO MACEDA PRESB.

ACCEDIT

COMMENTARIUS BOLLANDIANUS

DE SANCTO FIRMINO

EPISCOPO, ET MARTYRE

CUM DISSERTATIONE EJUSDEM AUCTORIS

DE POMPELONENSI EPISCOPATU HUIUS SANCTI,

BONONIÆ MDCCIIC.

EX TYPOGRAPHIA

SANCTI THOMÆ AQUINATIS.



INCLYTÆ
 POMPELONENSI CIVITATI
 REGNI NAVARRÆ
 METROPOLI

MICHAEL JOSEPHUS MACEDA POMPELONENSIS

FELICITATEM,

En opus, inclyta Metropolis, cujus hispanum specimen non displicuisse Tibi, ante menses aliquot humanissimis mihi litteris significare dignata es. Quid porro existimaturi de me homines sint, equidem nescio; de Te vero Tutelarium Sanctorum gloriam studiose diligenterque curante, ac tenues etiam in litteris civium conatus munifice ad-

DE CELERI
PROPAGATIONE EVANGELII
IN UNIVERSO MUNDO
LIBRI TRES.

LIBER PRIMUS.

De tempore quo S. Saturninus Episcopus, et Martyr
Evangelium Tolosæ prædicavit.

CAPUT I.

*Acta sincera S. Saturnini adhuc edita interpolata esse videntur,
ubi tempus prædicationis ipsius designant.*

1. **A**cturo sequentibus libris de mirabili propagatione Evan-
gelii per universum terrarum orbem, necesse mihi
esse intelligo, ut S. Saturnini, Tolosæ Episcopi primi, tem-
pus diligenter indagem, et, quoad ejus fieri potest, deter-
minem; ne, quod evenisse aliis video, qui sine prævio hoc
examine idem argumentum tractarunt, mihi etiam accidat,
ut nullo modo recentibus criticis sententiam meam probare
possim propter contrarium, ut ipsi ajunt, luculentumque
testimonium antiquissimi scriptoris martyrii S. Saturnini. Si
enim Galliæ, et in his Narbonensis Provincia Italiæ finiti-
ma, raras anno 250. Ecclesias (attamen pro exiguo Chri-
stianorum numero sufficientes) habebant, quid de Aquitani-
ca et Belgica, quid de Hispanis, Africanis, Germanicis, ac
Britannicis provinciis, ab scaturigine fidei remotioribus, exis-
timandum erit? Atqui id asserit scriptor martyrii S. Saturni-
ni, vel certe id ab eo asseri, S. Gregorius Turonensis testatur
lib. prim. *Historiæ Franc.* cap. 28 qui quidem errasse creden-
dus non est, nam in *passione S. Saturnini*, quæ inter *Acta*